



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. Alia quædam observanda circa revocationem attentatorum post
appellationem proponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

h. t. patet junct. Gloss. V. Alioq. Et consequenter appellatio etiam parit effectum devolutivum, & in illis sæpè casibus, ubi suspensivus effectus locum non habet, ut ex dictis patet. Imò non tantum causa principalis per appellationem devolvitur ad Iudicem ad quem, sed etiam ejus accessoria, sive quæ illam consequuntur *c. Dilectis 55. h. t.* ob causam scilicet connexionem.

§. V.

De attentatis, appellatione pendente, eorumque revocatione.

Quòd pendente appellatione nihil sit innovandum, supra dictum, ita ut tales innovationes attentatorum nomine veniant, quæ revocanda in hoc §. dicuntur; & hinc si appellatum in casibus licitis fuit à sententia definitiva, debet Iudex appellationis ante omnia revocare non tantum quæ post appellationem innovata fuerunt, sed ea etiam omnia, quæ medio tempore inter sententiam latam, & appellationem interpositam innovata fuerunt, modò debito tempore appellatum postmodum fuerit (quia hæc talia in casu appellationis à Iudice à quo facta, censentur facta à Iudice incompetente *Glossa in c. Venientes 19. V. Possessionem ipsam de jurejurand.*) nisi casus esset, in quo non admittitur appellatio de jure, aut probari non posset, definitivè pronuntiatum fuisse, fuisse appellatum, & aliquid fuisse innovatum. Si tamen ab interlocutoria tantum appellatum sit, non potest post eam appellationem attentata revocare Iudex appellationis, nisi priùs constiterit, causam appellandi, & legitimam, veram esse, nisi

Canonice à Iudice ad quem imbutum fuerit Iudici à quo, ne procedat ultra *c. Non solum §. Illa verò h. t. in 6.* quæ appellacione ab interlocutoria non penditur jurisdictio Iudicis à quo, & causa rationabilis appellandi allegata probata fuerit, & sic appellatio revocata, quod in appellatione à definitiva locum non habet.

§. VI.

Alia quedam observanda circa revocationem attentatorum post appellationem proponuntur.

Primò habet locum hoc remedi revocandi attentata non tantum appellatione judiciali, sed etiam appellatione (sive à Iudice à quo, sive à Iudice in quo) si in appellatione innovatum aliquid fuerit, & appellationis iusta, & probabilis fuerit, & parte citatà causa revocandi attentata ignota fuerit, quia non tantum appellatione pendente nihil innovandum, sed etiam appellatione lite pendente *c. 1. & 2. de appellatione & c.* & hinc cum appellatione judicialis sit saltem provocatio ad Iudicem à quo *c. Cùm sit §. Si vero h. t.* etiam hinc revocanda inducit, si tamen talia attentata post appellationem extrajudicialia facta sint in gravamen seu in preiudicium appellationis *c. Cùm nobis 19. de collatione beneficii post legitimam appellationem facta ab eo, à quo appellatum est, est ipso jure nulla, & revocanda debet tanquam facta post & contra appellationem c. Dilecti 1. h. t.*

Secundò, sicuti licet appellatum ante Iudicem ante litem contestatam innovatum aliquid, vel si sine iusta causa ab ipso ex consensu partium ad Iudicem assignatum præveniat, ita etiam

quæ post appellationem attentata sunt, revocari debent *c. significante 69. h. t.* Non censetur tamen pars litigans, quæ cetero est in possessione rei litigiosæ, innovare aliquid, si re tali, dum appellatio & lis pender, utatur, neque usus talis inter attentata numerandus est.

§. VII.

Qua ratione attentata, seu innovata post appellationem extrajudicialem sint revocanda? & de privilegiis, quæ competunt remedio revocandi attentata?

Qui appellavit extra iudicium ex verisimilibus & probabilibus causis, ne in possessione sua molesteretur aut turbetur, potest postea spoliatus non tantum ut in pristinum statum restituatur, agere, sed per viam etiam attentati non tantum contra spoliantem, sed quemvis alium, si ve malæ sive bonæ fidei possessorem agere potest, ut fructus etiam percepti post interpositam appellationem eidem restituantur. *c. Bona §. 1. h. t.* qui enim rem spoliatam detinet, in præiudicium spoliati appellantis detinet, & consequenter non tantum ratione huius, sed etiam ratione fructuum conveniri potest per viam attentati. Et hinc apparet, quod remedium revocandi attentata, pendente appellatione, longè uberius & pinguius sit, quam interdictum unde vi, seu recuperanda possessio, cum illi plura privilegia competant, quæ huic non conceduntur: primo enim per viam attentati agi potest contra bonæ etiam fidei possessorem, si post appellationem

res, ratione cuius appellatum fuerat, in eum delata fuit, ut ex modò dictis patet. Secundò non debet servari ordo iudiciarius, si remedium revocandi attentata intentatur, sed sufficit imploratio Iudicis officio de plano & summarie procedere. Tertio competit etiam hoc attentati remedium pro rebus mobilibus, Quarto non potest opponi agenti per viam attentatorum notorius defectus proprietatis, aut exceptio alterius spoliationis, vel excommunicationis. (saltem in appellatione judiciali, quæ se potius habet ut defensio, licita etiam excommunicatis, quam ut actio illis prohibita.) Quintò non requiritur allegare & probare titulum, si per viam attentati revocandi in causa beneficii agatur &c. quæ tamen vel requiruntur, vel saltem non requiruntur in interdicto unde vi.

§. VIII.

Quis Index cognoscere possit de revocatione attentatorum post appellationem?

Cognoscere, num attentata post appellationem sint revocanda, ad Iudicem appellationis pertinet, qui enim de principali cognoscit, de appellatione scilicet cognoscit etiam de accessoriis, seu connexis, uti sunt attentatorum revocatio. *c. Sollicitudinem §. 4. h. t.*

¶(o)¶

F f f

SECTIO